

CONFIRMATIO EORVM, QVÆ dicta sunt á Doctore Ferdinādo de Sola Medico Hispalensi in suo de morbo anginoso iuditio.

CVM Diebus elapsis præcibus amicorum cōmotus, quod senseram de morbo attroci, & suffocāte nostro hoc tēpore sęuiente (vulgo Garrotillo) vulgari sermone conscripserim, dixi breuissime sine auctoritatibus, nec probationibus solum, quod ex tali morbo experientia obseruatum habebam; & quia tūc tria proposui necessaria in hoc morbo, mihi modo interest ea probare. Primum, quod constitutio hæc est pernitiosa, & debet denominari pestis puerorum,&quod ista pernities sit non solum ex eo,quod morbus ex se sit magnus,sed quia malignam qualitatem habet adiunctam.Secundum est probare in hac constitutione (licet apareant anginæ,& aphtæ)similiter adesse carbunculos in guture, & quod ij sint, qui citissime suffocant, & quibus denominatio principalis morbi (vulgo Garrotillo) debet attribui.Tertiū vero quod in hoc affectu debeamus vti purgatione in principio reuulsionis causa, & causticis medicamentis in curatione vlceris carbunculosi.Quæ omnia probabo auctoritatibus, & rationibus,& non alia commotus quam dicendi veritatem. *Auctorū intentum.*

Et ad primum accedendo,scilicet ad probandum,quod cōstitutio hæc sit pestilens,est necesse,valde tritam, sed necessariam diuisionem morborum afferre, quā Galenus proponit in proęmio Epidemiorū, dicens morbos alios esse cōmunes,alios,diuersos,& rursus communes,aut in vna tantum regione, & dicuntur Endemici, aut in multis ręgionibus, & dicunturEpidemici,diuersos vero,seu sporadicos esse,quando plures diuersæ speciei morbi accidunt, vt pleuritis,tertiana,&c.Rursus quando morbus est communis in pluribus regionib⁹,& simul cum hoc plurimosq́ interimit, dicitur Epidemia pernitiosa,& per consequens pestis. Id confirmat ipse Galeus.1.de ratione victus.c.9. *Dicens pestem esse morbum communem plurimos interimentem* : id etiam docet. 3. epidemiæ sec.3.tex.19. *Dicens pestem non esse aliquem morbum determinatum, nisi constitutionem commu-* *Quod cōstitutio sit pestilens, quæ vocaturGarrotillo probatur.*

nem

nem plurimos interimentem, siue sint tertianæ, siue pleuritides, &c. Hanc veram diffinitionem pestis scilicet, quod sit epidemia pernitiosa, quæ plurimos interimit, & corripit, ab omnibus, tàm antiquis, quàm neotericis, recipitur nemine discrepante. Et licet non sit ex natura pestis, & quid constituens suam essentiam, quod maiorem partem correptorum perdat, vt aliqui voluerunt, tamen de essentia ipsius est, quia est communis, vt ea multi corripiantur, & quod ex illis multi pereant, quia est differentia specifica, cuius ratione differt à morbis alijs communibus non pernitiosis, & sic non sufficit aptitudo ad id efficiendum, vt aliqui satis præstantissimi volunt, quia aptitudinē ad interficiēdum habet quicumq; morb⁹ magnus, & acut⁹, & non dicitur pestis, quia pestis essentia consistit in communitate, & pernitie; cōmunitas cognoscitur ex eo quod plures eodem modo corripiantur. Pernities verò sumitur ex eo, quod plures pereant, & si aliquid horum deficiat non est completa essentia pestis, sed erit morbus malignus, aut acutus, & sic ad hoc, vt morbus aliquis dicatur pestilens, erit sufficiens, quod habeat accidentia pernitiosa; sed ad hoc, vt dicatur pestis, est necessarium, vt sit quid commune multis, & perconsequens pernitiosus, sed communitas ista necessario debet morbis prouenire ex causa communi, quæ fere semper est aer, siue quia in se habet talem malignitatem, aut excombinatione varia qualitatum astrorum, aut ex contagione, quia pestis necessario est contagiosa, adeo vt nullus iam audeat id cōtradicere, ne forte ei accidat, quod illi, qui negans periculum peribit in eo, cum experientia constet fomitem ab vno in aliū transeuntem, eūdem morbū causare, in quo essentia contagij consistit, & cū pestis præter hæc habeat, id quod plurimos interficiat, necessario debet habere malignitatem, vt Galenus aduertit. 2. aphorismorum 13. dum ait; *Nouimus multas terminationes esse in melius, nisi sit pestilens constitutio, vbi terminationes sunt in peius propter malignitatem*: quia morbus malignus dicitur à Galeno. 1. epidemion, sect. 3. com. 1. *Cum omnibus diligenter administratis nihilo mitior sit*. Sed sic est, quod nō solū non fit mitior, sed etiā interficit: ergo quia malignus, quia etiā si morbi sint magni ex sua natura, aut ratione partis, si optimè administrētur remedias multi euadunt, quod non accidit in affectibus malitiosis, & ex ista causa à Galeno cognoscitur malignitas, quādo in constitutione anginosa in 6. epidemion, comment. 7. ait; *Tunc constitutio ista anginosa pestilens est facta cum multi mori ceperant, etiā si omnia remedia eis fuerint administrata secundū rationem, & in tempore*. Et quando. 3. epidemion, com. 3. ait; *Cum Hipocrates dicit plures moriebantur, pestilentes esse morbos, qui vulgabantur, demonstat*. Sed etiam præter effectum cognoscitur malignitas ex sympthomatib⁹, quādo non correspōdent morbo, vt

doctissimus Argenterius docet, scilicet si febris est parua, & symphomata ingentissima, id ab alia causa, scilicet à qualitate maligna habere dependentiam.

His sic constitutis tanquã certis videamus, an hæc omnia adaptari possimus nostro morbo anginoso. In primis, est communis, quia nõ solum in vna regione, sed in pluribus inuenitur, vt omnibus est compertum. Est contagiosus, quia eiusdẽ speciei morbus communicatur omnibus, præcipuè pueris, & ex his plures interficit, ne dicam maiorem partem, vt satis hodie lugent multæ domus, & lugebunt multo tẽpore earum magnates, quia puerorum omnium relictæ sunt desertę, sed bone Deus! id cum malignitate, aut sine illa, dicant medici hunc morbum curantes sympthomata, quæ in illis inueniũtur. In primis optime aplicitis remedijs non reducuntur: ergo secundum Galenum malignus morbus est, quod optimè aplicitis reuulsionibus, & euacuationibus nõ reducantur, iudices constituo, omnes medicos hunc curantes morbũ, quibus experientia quotidie id ostendit.

Præterea sympthomata non correspondent morbo, quia habere febrem magnam, vomitus eruginosos, anxietudines, extremorum frigiditates, quid adulcus in guture? & aliquando ita paruum, vt nõ appareat, & in prima die suæ inuasionis, præcipue quando affectus est carbunculosus, vt infra probabo, igitur constitutio ista pestilens est, & talis debet denominari ex doctrina Galeni.

Et probatur id ratione, primo à diffinitione ad diffinitũ bene valet consequẽtia, diffinitio pestis est epidemia pernitiosa plurimos interficiens, hæc nostra constitutio sic se habet, ergo est pestis, probatur minor, plurimos corripit, & plurimos interficit, vt constat experientia, ergo est pestis.

Probatur secũdo per vos cõstitutio ista est cõmunis, & est cõtagiosa, & plurimos interficiebat antea, ergo pestis erat antea.

Si dicas modó, multi euadunt, nihil contra nos, quia in quacumq; constitutione, quando declinat multi euadunt, & non inde sequitur, quod non sit pestilens, & quod non optime curabatur, vt experientia est compertum in omnibus constitutionibus pestilentibus.

Si iterum instes, quod ad hoc, vt sit pestis, est necessariũ, quod sit morbus malignus iste, quia magnus ex sua natura, & ratione partis interficit non vero malignitate.

Contra, & sit tertium argumentum, omnis morbus communis cõtagiosus, & plurimos interficiens est pestis ex Galeno, siue id efficiat sua magnitudine, siue malignitate, quia pestis diffinitio nihil aliud dicit, quam epidemiam pernitiosam plurimos interimentẽ, ergo responsio nulla.

Præterea eſt impoſsibile,quod morb⁹ plurimos interficiat, & ſit communis, & contagioſus ſine malignitate, quia etiam ſi morbi ſint magni,aut vehemẽtes expectabatGalen⁹ optimas mutationes, ſi malignus non ſit.2.aphoriſmorũ.13 ergo vbi nulla eſt optima mutatio,ſed omnes ad peius neceſſario erit malignus,vt ipſe ait.

Præterea, in conſtitutione illa anginoſa in 6. epid. morbus erat magnus ex ſua natura, & ratione partis, & nihilominus non dicitur à Galeno peſtilens,vſq; cepit plures interficere, & non cedere remedijs,ergo quia morbus, qui in principio fuit benignus, poſtea adiuncta malignitate reditus fuit malignus, & non quia erat ex ſua natura,aut ratione partis magn⁹,quia anginæ fuerunt,vt ipſeHypocrates, & Galenus docent,& omnes commentatores in præſenti.

Præterea vlcera maligna cachoetes vocata à Græcis auctore Galeno.4.metho.c.5.*Sunt,quæ omnibus rite,decenterquè factis,tamen non ſanantur*;vlcera aparentia in faucibus, in hoc morbo ſunt huiuſcemodi,ergo maligna; probatur minor, vlcera iſta non ſolum non ſaneſcunt,ſed in gangrenam terminãtur,ergo quia maligniſsima ſunt.

Sed ſi reſpondeas ibi per malignitatem intelligere afluxum humorum acrium,cuius ratione fit vlcus virulentum,aut putridum.

Contra ipſe Galenus.1.de medicamentorum generibus.c.18.docet vlcera,quæ ex humoribus acribus fiunt vocari dyſipulotica,non vero maligna,at vero ſi ſimul cum acrimonia, & putredine humorum ſit praua diſpoſitio in parte contracta erit maligna,ſed in iſta noſtra conſtitutione nõ ſolum eſt afflux⁹ humorum acrium,ſed maxima putredo,& corruptio in parte contracta,vt conſtat experientia, ergo vlcera maligna propter malignitatem, & non ex humorum tenuitate,& acrimonia.

Præterea vlcera gallica depẽdent ex fluxióne acri,ita vt corrodãt non ſolum fauces,ſed etiam oſſa, & nihilominus non interficiunt, aut tardè;noſtra tamen vlcera in tertio,quarto,aut ad ſeptimum interficiunt,ergo aliquid amplius habent,& ſunt carbunculoſa, vt ſtatim probabo,ergo à fortiori habebunt malignitatem.

Præterea ab omnibus hic morbus curatur alexipharmacis, ergo peſtilens eſt;quod curetur alexipharmacis, vide Mercati verba, libro conſiliorum. 23. §. *Hoc tamen vnum habet perpetuum, quod ſemper alexipharmaca expoſtulet cunctis alijs præſidijs,& alimentis admixta;&c.* cui ego,& omnes aſſentiunt.

Si dicas,multi ſine alexipharmacis curantur,nihil valet, quia eſt rectum ab errore,& non eſt immittandum,& ſimiliter multi in peſte ſine curatione euadunt, quia naturæ forti nihil eſt contrarium; erit bona conſequentia multi ſunt liberati in peſte ſine curatione, ergo curatio nõ eſt efficienda;minime ergo ſimiliter ratio tradita.

Pretcrea

Prǫterea, multi iam conualeſcentes à morbo, ſcilicet āb inflãmatione, & carbunculoſo vlcere repente intereunt cum maxima reſpirationis difficultate ex humore maligno deliteſcente in pulmone, ergo malignus eſt morbus.

Et non valet, ſi reſpódeas id prouenire ex amputatione collumelę, & aliarum partium guturis defectu præparationis aeris ex Gale. 11. de vſu partium. c. 10. quia multi ex his ſuffocatis non habent amputatam collumelam, & qui pereunt ex eius amputatione, eſt in tẽpore frigidiſsimo, & frigida regione, & in lõgo tẽpore, vt ex Gale. contextu conſtat, & eſt experientia confirmatum in gallicatis, qui ſine collumela, & omnibꝰ partibus vſq; ad oſſa abciſis multo tẽpore durãt: anginoſi verò fere omnes pereũt repẽte, & cũ ſumma inflãmatione in pulmonibus, vt ex maxima difficultate reſpirationis, qua ſuffocantur, aparet, ergo ex humore deliteſcente maligno, quẽ omnes debemus neceſſario confiteri ex dictis ſymptomatibus.

Et, vt colophonem inponamus huic puncto, Galenus 5. methodi. c. 12. facit mentionem conſtitutionis cuiuſdam, vt iſta, & vocatur ab eo peſtilens, in qua maligna vlcera inueniebantur in guture, & plures peribant. Similiter Aræteus lib. 1. c. 9. eam peſtilentem nominat, & Aetius, & Mercatus, & multi alij imò omnes; ſi hoc ita eſt, optimum eſt id tanquam certum, & euidens amplecti, cum ſit communis ſententia curantium, & ſcribentium circa hanc rem.

Quod conſtitutio hæc ſit cum vlceribus carbunculoſis.

Ad ſecundum propoſitum accedendo, an ſcilicet conſtitutio iſta ſit ex vlceribus carbunculoſis, & non de genere aphtarum. Primo ſuppono tanquam certum, quod quoties aliquid cauſat admirationem, non ſolum plebeis, & communiter practicantibus, ſed etiam doctiſsimis viris ſenibus, & valde in arte medica expertis, quod aliquid de nouo in ſe habet, ſed ſic eſt, quod iſta conſtitutio anginoſa maximam admirationem imponit omnibus medicis, in quacumquè regione accedit, ita vt de ſua eſſentia, & curatione ſit varietas, ergo aliquid de nouo in ſe continet, quia ſi aphſtarum conſtitutio eſſet, lippis, & tonſoribus eſſet notiſsima, quia nemo eſt, qui de aphſtis mentionem non efficiat, vt videre eſt apud Galenum. 6. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. c. de aphſtis, & apud Hypocratem 2. de morbis, & 3. aphoriſmorum. 24. & apud Auicen. fen. 6. 3. c. 23. & Celſum lib. 2. c. 1. Aetium tetrablibi 2. ſermone. 4. c. 39. Paulum lib. 1. c. 10. & ab omnibus neotericis fit de aphſtis caput proprium. Et eſt morbus qui fere ſemper inuenitur in pueris lactantibus, vt Galenus docet 6. ſecundum locos citato, quia ex lactis acrimonia, & putredine cauſatur, aut in æſtate ex defluxionibus calidis ex tempore æſtiuo cauſatis, vt Hypocrates

docet. 4.de ratione victus. 29. & sic de aphtis facile est plurimas adimplere paginas solummodo referendo,quæ ab auctoribus citatis de illis proponuntur.

Secundo aduertendum est,quod licet verum sit,quod fere omnia vlcera accidentia in faucibus ab auctoribus sub nomine aphtarum comprehendantur tamen aphtæ propriè, *solum sunt vlcera superficiei oris cum ignea caliditate*, vt Galenus docet 6. secundum locos. 4. & licet ex his aliæ sint benignæ,aliæ vero malignæ, solũ differũt penes magis,& minus,& conueniũt in hoc,quod est esse vscus superficiale,quod est aphtarũ essẽtia, vt ex diffinitione Gale. proposita,& ab omnibus auctorib⁹supra citatis(ne iterũ eos repetã)proponitur.

Tertio aduertendum est, quod licet communiter angina dicatur omne id,quod causat compressionẽ in guture,& impedit de glutionẽ,& respirationẽ,siue sit humor,siue vertebra,&c, nihilominus cõstituendum est anginæ propriæ dictæ *essentiam consistere in inflammatione faucium*,vt docet Galeus 4.de causis pulsuum. 20. & 4. acutorum.20.&.3.prognosticorum.16.&. 4. aphorismorum. 34. siue hæc inflammatio fiat à sanguine solo, siue ab alijs humoribus cum sanguine,dummodo causet inflammationem dolorosam, & difficultet de glutionem,& respirationem. Quę omnia sunt signa consequẽtia necessario partium guturis inflammationem.

Quarto aduertẽdũ est,quod vt iã dixiHispano sermone in iudicio super hanc rẽ facto in hac constitutione multæ anginæ inueniũtur, & multæ aphtæ, sed hæc omnia suis signis cognoscuntur , vt ibi dixi,& iterum modo repetam cum probabo signa morbi suffocantis, & admirantis omnibus non esse ista.

Et probo in primis,quod morb⁹ iste nõ sit angina propriè dicta; *Angina est inflammatio guturis cũ difficultate respirationis,& deglutionis sine vlcere*,ex Gale.citato,sed in isto morbo non est inflãmatio sola, sed semper vlcus,vt constat experientia,ergo nõ est angina propriè dicta,maior est Galeni loco citato. Minor probatur in hoc morbo semper inuenitur vlcus custrosum, vt infra probabo, sed anginæ essentia posita est in tumore,ergo non est angina iste morbus.

Præterea curatio variatur secũdũ speciẽ,& essentiam morbi,curatio huius morbi est diuersa à curatione anginę, ergo nõ est angina probatur minor angina propriè dicta curatur in principio cũ gargarismis repercusiuis postea cũ resoluentib⁹ si tendit ad resolutionẽ, aut suppurantibus si suppuratur, vt est communis sententia, sed sic est quod ommia suppurantia in hoc morbo sunt fugienda,quia maiorem corruptionem causant, vt est experientia compertum, ergo diuersa est curatio, & per consequens species morbi diuersa.

Præterea angina non est morbus contagiosus ex sua natura mor-

bus

bus iste est cōtagiosus ex sua natura, ergo non est angina, quod anginæ non sint contagiosæ ab omnibus est decantatum, quod verò iste morbus sit contagiosus est experientia confirmatum, ergo mor bus diuersus ab angina.

Secundo probo, quod non sit aphta. Aphta ex Galen. vt supra dixi, *est vlcus superficiei oris*, sed vlcera ista non sunt superficiei oris, nisi valde profunda, & custrosa, ergo non sunt aphtæ, quod sint valde profunda, & custrosa experientia constat, siquidem corrodunt carnem omnem guturis, ergo non pertinent ad aphtas.

Præterea ad aphtas non sequitur necessario febris, nec tumor inflammatorius in principio, nisi tractu tēporis, quia prius præsup ponitur vlcus, sed sic est, quod in hoc morbo in eodem instanti est inflammatio vlcus, & febris, & reliqua symptomata infra tradenda, vt experientia ab omnibus est confirmatum, ergo non est aphta.

Præterea aphta est morb⁹ molestus, sed securus, quia facile curatur, & si tendit ad peius est paulatim, vt ab omnibus est receptū, & nullus auctor de eis proponit, quod sit læthalis morb⁹, & acutus, sed iste morb⁹ est acutissim⁹, & lætalissim⁹, ergo valde distat ab aphtis.

Supposito qnod morbus iste non sit angina propriè dicta, vt probaui, quia nō est inflāmatio sola, nec aphta, quia non est vlcus super ficiei oris, restat probare quid sit, & quæ accidentia ei consequātur.

Morbus iste, vt iam dixi, anginosus est tumor carbunculosus, aut vlcus carbunculosum, aut crustrosum, quæ omnia eadem sunt, vt cō stat ex Galen. 14. method. c. 10. qui carbunculum vocat inflāmtionem, & similiter in eodem capite eum vlcus vocat, & 5. de medicamentorum compositione secundum genera. c. 15. Paulus, & Aetius in proprijs capitibus, & Ambrosius Pareus, doctissimusq; Falopius, dum ait; *Antras, seu carbunculus erit tumor calidißimus, & feruens cum aliqua crnstra, quia vlcus est.*

Hāc propositā diffinitionē huic morbo proponit doctissimus, & nostræ Hispaniæ honor Ludou. Mercat. 1. suorū consiliorū libro cōsilio 23. *siquidem* (loquitur de cōstitutione ista anginosa) *in anginosis & lætalibus faucium vlceribus, & guturis tumoribus carbunculosis, & vlcerosis, quam quidem vulgo medicorum Hispano sermone vocat (Garrotillo.)*

Sed vt melius nostram diffinitionem probemus, & intentum tria in præsenti breuiter sunt enodanda. Primò, quid carbunculus sit, differentiæ, & signa ipsius. Secundò, an in guture accidere posit, & an aliqui auctores de eo in tali parte fecerunt mentionem. Tertió, & vltimo, & præcipuum ad nostum intentum, an in nostra constitutio ne signa correspondeant eo, ita vt denominetur carbunculus.

Quod Antras à Græcis, à barbaris Altoin, & à Latinis carbunculus dicitur; *Nihil aliud est quam inflammatio cum vlcere crustroso,* *Quid est carbūculus.* *& ma-*

& maximo dolore, aut prurritu, vt Galenus docet 14. method. c. 10. & 6. aphorism. 45. & 2. ad Glauconem. c. 1. & multis alijs in locis, vnde constat carbunculum morbum compositum esse ex omnibus morborum generibus, siquidem pertinet ad compositionem, quia inflammatio est cum tumore, & ad intemperiē siquidem est intemperies calida, & ad solutionem continui, quia vlcus est.

Variæ de carbunculo sunt differentiæ ligitimo, vel iligitimo exquisito, vel expnrio, quod idem est, sed meo iuditio præstantissime diuiditur à Ludouico Mercato cap. de febre pestilente, dum *aßerit carbunculum eße triplicem. adustiuum, æstiomenosum, & pestilentem ex varietate humorum, à quibus generantur.* Adustivus generatur ex sanguine aut bile adusta, & iste est ligitimus, & propriè carbunculus exquisitus. AEstiomenosus ex sanguine commisto cum reliquis humoribus cum auduſtione, sed non tanta pro varierate humorum nihilominus tamen sufficiens ad eruſtram efficiendam, quia quid essentiale carbunculo est. Tertia vero species pestilens dictus carbunculus nihil addit super allatos præter pestilentem qualitatem eis additam, cuius ratione sympthomata sunt sæuiora, licet quicumq; carbunculus sit ex sua natura morbus malignus, & pernitiosus.

Sympthomata consequentia hunc morbum, sunt primò calor, & prurritus in parte docente Hypocrate 2. Epidemiæ, in principio, dum ait. §. *Dum intro carbunculi concipiebant, in calescebant, & prurritum concipiebant, &c.* Secundo pustulam debet habere, aut crustram docente Galeno. 14. metho. c. 10. per hæc verba. §. *Pustula quadam, qua rupta vlcus cum crustra gignitur, vel multi exiles, vt mily semina quibus ruptis similiter vlcus, &c.* Tertio est dolor intolerabilis, ex Aetio lib. 14. c. 58. §. *Dolores insuper accidunt longe maiores, quam pro paruitatis ratione, &c.* Quarto colores naturales permutantur ex Galeno lib. de differentijs sympthomatum. c. 5. §. *In carbunculo colores naturales mutantur.* Quinto febris intensa, ansietudines, vomitiones virides, & nonunnquam somnus accidunt, ex Celso, lib. 1. cap. 28. §. *Somnus vrget nōnunquam horror, aut febris sine sudore, aut vtrũquè, &c.* Quæ omnia quanto sæuiora, tanto maligniorem carbunculū ostendunt, si his addas locum affectum, cuius ratione magnificatur periculum, docēte Auice. fen. 5. 4. tractat. 1. c. 17.

An carbunculus accidere poßit in faucibus. ratione, & auctoritatibus probatur.

Huius vltimi prognostici ratione vertitur in dubium, posſitne accidere carbunculus in faucibus, & an aliqui auctores de eo in tali parte fecerunt mentionem.

Et probatur primo, quod posſit in faucibus tumor carbunculosus generari, nullum ēst impedimētum ad hoc vt generetur, ergo potest dari. Probatur antecedens non est impedimentum ex parte humoris,

moris,quia humor feruidus aduſtus,& craſſus, qualis ſolet eſſe generativus talis tumoris poteſt ad illas partes affluere. Pars tamē ex ſua natura eſt facile receptibilis illius,quia eſt laxa,in qua nó eſt impedimentum ad tranſitum humoris craſſi, veluti pleura,& partes denſæ ſolent efficere,ergo poſsibile eſt talis carbunculi generatio.

Secūdo probatur,quod generetur *carcinoma in faucibus concedit Hypocrates.7.Epidemiæ textu.99.* Sed ſic eſt,quod cancrus, & carbūculus ſolum differunt penes magis,aut minus aduſta materia,ergo ſecundum Hypocratem carbunculus in faucibus generari poteſt. Quod ſolum in hoc differant,probat Galenus lib. de atrabile.c.4.per hæc verba. §. *Quæ autem ſua craßitudine percutis denſitatem traduci non poſſunt,ſed intus coercentur,ſi calida ſunt carbones, ſin minus talia cancros progignunt, &c.* ergo carbunculus in faucibus generari poteſt.

Præterea,& ſit ſecundum huius dubij,ſcilicet auctores qui de tali carbunculo in faucibus fecerunt mentionem, Celſus. lib.5.c.28. cuius verba placet in præſenti adducere,quia veluti deſcriptio morbi præſentis ſuffocantis eſt. §. *Ab ijs,quæ extrinſecus incidunt,ad ea eſt veniendum,quæ interius corrupta aliqua corporis parte naſcuntur, ex cuius non alia carbunculo peius,eius hæ notæ ſunt,rubor eſt, ſuperq; eum non nimiū puſtulæ eminent maximè nigræ interdum ſublibidæ, aut palidæ in his ſanies eſſe videtur, infra color niger eſt. Ipſum corpus aridum, & durius, quam naturaliter oportet.Circa quem quaſi cruſtra eſt, eaquè inflammatione cingitur,nequè in eo loco leuari cutis poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa eſt, ſomnus vrget,nonnumquam horror,aut febris oritur, aut vtrumquè. Idquè vitium ſubter actis quaſi quibuſdam radicibus ſerpit, interdum celerius,interdum tardius,ſupra quoquè procedens inalbeſcit,dein liuidum fit, circumquè exiguæ puſtulæ oriuntur.Et ſi circa ſthomacum, fauceſvè incidit ſubito ſpiritum ſæpe elidit,&c.* Ecce quomodo Celſus proponit morbū,cauſas,ſigna,& prognoſtica, ſiquidem ait ſi in faucibus, aut ſtomacho hoc eſt ingula ſit ſæpe interficere cum velocitate, vt efficit noſter anginoſus morbus.

Id ſimiliter videtur inſinuare Areteus libro 1.c. 9. dum hæc verba proponit.§.*Affectus ille ſchara eſt* (agit de morbo anginoſo) *atquè ita Græcè vocatur, Latine cruſtra. Cruſtram vero circumueniunt rubor excellens inflammatio, & venarum dolor quemadmodum in carbunculo, &c.* Sed ſic eſt,quod omnia ſignia ab eo propoſita ſunt carbunculi, ergo carbunculus eſt.

Id ſimiliter videtur inſinuare Aetius tetrabli.2.ſermone.4.c.46. dum nomen tituli proponit,*de cruſtroſis,peſtilentibuſquè tonſilarum vlceribus.* Sed ſic eſt,quod vlcus malignum, & cruſtroſum nihil aliud poteſt eſſe præter carbunculoſum, vt ex Celſo, Galeno, & reliquis ſupra citatis conſtat,ergo carbunculum eum nominat.

Cuius

Cuius ratione tempus erit,accedamus ad probandum tertium,& vltimum propositum,scilicet quod omnia dicta de carbunculo cōueniant nostro morbo anginoso(vulgo garrotillo.)

Probatur primo, carbunculus *nihil aliud est quam infalmmatio cum vlcere crustroso*,vt probaui supra exGalen.14.methodi.c.10.& ab omnibus cōmuniter recipitur,sed iste noster anginosus morbus est huiuscemodi,ergo est carbunculosus,maior est certa,& ab omnib⁹ recipitur;minorem probo in hoc nostro anginoso morbo est difficultas deglutiendi,& respirandi,& febris simul, ergo necessario inflāmatio guturis.Et statim videtur similiter vlcus,aut schara,ergo inflammatio cum crustra,& perconsequens carbunculus,siquidem nihil amplius habet,vt est experientia compertum,& exprȩssat Galenus.2.ad Glauconem.1. dum ait; *Cum humor comburendo facit vlcus cū crustra,& circumsacentia inflammat,est carbo huiuscemodi paßio.*

Et confirmatur flogosis,aut vlcus in faucibus non potest efficere febrem,nec impedimentum ad respirātionem,& deglutionem, sed hæc omnia inueniuntur in nostro morbo,vt experientia constat,ergo inflammatio tumorosa inuenitur,& non solum vlcus,& flogosis. Probatur maior,febris,nisi sit ex aparatu morboso venarum, debet dependere ab aliqua inflammatione in hoc morbo,sed flogosis non est sufficiens ad efficiendam febrem, ergo est tumor inflammatorius.Probatur minor febris causatur ex vaporibus misis ad cor ex inflammatione,ergo pars quæ mittit vapores ad cor necessario habet inflammationem. Et perconsequens difficultas deglutiendi, & respirandi prouenit ex impedimento in vijs respirationis, & deglutionis, sed hoc impedimentum fit coarctatis vijs ex desiccatione,aut trepletione,non ex desiccatione,quia repente accidit, ergo ex repletione ex afluxu humorū, ergo ex inflāmatione,& cū vlcere crustroso,vt oculisvidetur,ergo necessario excarbūculo ibi genito.

Et amplius id probo numerando omnia signa huius morbi,morbus iste habet in principio febrē,inflāmationem,& crustrā in guture cū difficultate respirationis,& deglutionis;nonnunquā horrorē, vomitum ȩruginosum,somnum,anxietudines,extremorū frigiditatem,maximas,& repentinas suffocationes mortales, quæ omnia affert Celsus lib.5.c.28.de carbanculo in faucibus,vt supra proposui, ergo est carbunculus.Quod verò omnia illa signa habeat experientia constat,& docet Ludou.Merca.prȩstantissimus, & expertissim⁹ vir,cui veluti Gale.& Hypoc.in praxi est danda fides,lib.1.suorum consiliorū,consil.23.supra citato,ergo iste anginosus carbuncul⁹est.

Sed obijces in carbunculo, ex Galeno, Celso, & reliquis citatis ponitur pro signo,quod pustula sit nigra cineritia,autviridis,sed in hoc morbo præter hos colores maiori ex parte est alba, ergo nō est car-

carbunculus.Reſpondeas facile,quod in exquiſito carbũculo aduſtiuo eſt puſtula nigra,aut cineritia, at verò in expurio extiomenoſo dicto,ad quẽ noſter morbus reducitur non eſt neceſſariũ,quod ta lem habeat colorem,quia variatur pro varietate humorũ,& quia ali qua ſalſapituita adiũgitur , fit puſtula alba.Et vbicumq; fuerit inflã matio cum puſtula eſt carbunculoſa,vt docetFalop.in proprio capi te ex Auice.& ſic ignis,pruna,& carbunculus ſunt idẽ morbus, ſolũ ex varietate humorũ facta differentia munerica non verò ſpecifica, quia omnes cõueniunt in eo quod eſt cõburere,& adurere carnẽ,& nõ tẽdere ad ſuppurationẽ.Solũ differunt ex eo quod eſt magis pro fundare,aut minus in carne pto craſsitudine maiori, aut minori hu morũ,& ſic exquiſit⁹,quia ex craſsiori humore cõſtat magis profun datur,& niger eſt,&omnia ſigna habet ligitima,reliqua verò nõ ita.

His præſuppoſitis ad tertiũ in principio promiſsũ, an ſcilicet expurgatio fieri debeat in princpio in hoc morbo factis ſufficienter evacuationib⁹per ſanguinismiſsionẽ,tẽpus eſt vt accedam⁹,ſi prius aduertam⁹ in præſenti nõ agerẽ de purgatione lenitiua,quia in hoc morbo nõ habet locũ,hęc enim humoribus in prima regione exiſtẽ tibus debetur. Humores tamen hunc cauſantes morbũ non ſunt in prima regione,&ſic nõ eſt ex vſu.Similiter nõ eſt diſputatio de pur gatione minoratiua ad diminuendã cauſam, vt poſtea natura ſupra reſiduũ ſit fortior,de quo aliàs eſt longa inter auctores diſputatio. Nec ſimiliter ſi prius exerceatur purgatio, quam ſanginis miſsio ſi ęqualis ſit neceſsitas, ſolum in præſenti probo ex Gale. doctrina,& Hypocrat.quod factis flebotomijs pro plenitudinis ratione debeat exerceri ſimiliter ad reuelendũ purgatio in principio,quia in principio exercetur.

Quod detur expurgatio revulſoria, & fieri debeat in hoc morbo ex doctrina Galeni.

Et ſit ad probandum intẽtum prima auctoritas Hipocratis in lib. de locis in homine poſt medium,cum ait;*Sic affectis (loquitur de angina) à venis quæ in brachijs ſunt ſanguinem detrahes , & ſimul medicamento aſſumpto alvum inferne ſubduces,quo id quod morbum facit detrahatur.&c.* Sed detrahere eſt reuelere , ergo revultionis cauſa purgat Hipocrates,id ſimiliter docet 4.de ratione victus.64.cum ait ; *Hos ſi ab initio purgare conueit , id ante diẽ quartum facito; &c.* Vbi in principio fluxionis pro revultione purgat , id ſimiliter docet Galenus fidelisſimus Hipocratis interpres. 4. de ratione victus tex. 20. ſuper illa verba ; *Porro ſi angina fuerit , & ſi aliud quidpiam ex pleuriticis malum ecligmate repurgato;&c.*In cõmentario ſic Pergamenus ait;*Nẽpe corpus impurum,excrementoſumq;,quod vacuatur, iure optimo expurgari quiſpiam pronuntiauit;&c.* Idẽ docet ipſe Galeus in cõmentario 30. ſequenti,dum ait;*Corpus autem totum vacare ex crementis oportet,& non pletoricum eſſe geminam ob cauſam nempe, tũ ob eam , quæ à vacuatione eſt*

revul-

reuultionem,tum quod vacuato corpore à parte affecta, quod influit expellimus,id facilius suscipiet,nilq; si calido aliquo euaporare volueris à corpore ipso parti calfactæ mittetur,corpus igitur totũ vena secta vacuare oportet, & purgatione,&clisteribus. Hoc idem euidenter docet Asiaticus præstãtissimus.13.methodi.c.5.per hæc verba;§. *Has namq; euacuationes indicat ipsa copia (agitur de glandularum inflãmationibus) sicut etiam succorum vitium redundantis succi purgationem, ac plerumq; post hac præsidia glandularum inflammationem desinit:sæpe tamẽ,vel ipsum,qui curat ad corporis totius vacuationem segniori, vel ipso,qui laborat præmolitie non admittente earum phlegmonem maior efficitur ita, vt ad suppurationem veniat;&c.* Vbi Galenus expresse docet, facta purgatione in principio impediri phlegmonis augmentum, ergo in principio reuelendum est purgatione. Hoc idem docet idem Galenus, & expræssat in quibus inflãmationibus conueniat in principio purgatio,& in quibus non conuenit.13.methodi.c.11.§.*siquidem ex ijs,quibus oculi tẽtari phlegmone ceperant, nonnullos sola purgatione per alvum vna die sanatos vidisti: quam rem:si quis faceret in iecinore cum phlegmone laborare incipit maximam exitauit phlegmonem.* Et statim ait; *siquidem quam longißime à parte tentata fluxione est reuelendum*; Ecce quo modo Galenus aduertit, quod quoties humor purgatione separatur à parte laborante,vti debem⁹ purgatione revulsoria, vt in nostro casu,contrarium vero efficere debemus quando humor mouetur ad partem, vt si sit in iecinore ventriculo in testinis; &c. Hanc eãdem sententiam ne fote tẽpus in tradẽdis auctoritatibus cõsummamus suscipit Vallesf.7.cõtrouersf.13.idem docet Ludou.Mercat. c. de angina Eustachius Rud⁹; Triṉcabel. proprijs capitibus Oratius Augen.1.epistolar.2.& vt colophonem imponamus huic puncto, eãdem defendit opinionem nosterGale.Hispalensis maximusq; opugnator minoratiuæ doctor Iuanes Luna Vega in exercitatione quadam facta de hac re.

Et probatur ratione duo magna remedia habet ars medica ad impediendas fluxiones,& humores euacuandos sanguinis misionem scilicet,& purgationem,sed vnusquisq; horum suas habet indicationes plenitudo per se, aut cum vitio humorum expostulat sanguinis misionem iam euacuatoriam,iam revulsoriam secundũ naturam causæ,quæ est indicatiua talis euacuationis.Cachochimia autem eodem modo secundum naturam causæ si disposita sit,& cõcocta materia euacuationẽ; aut separati humores,sin vero moti reuulsionem.Doctrina est Galen.4.method. 6. §. *Quare nunc quoquè si etiam nunc fluxio valenter irruat,reuelere ad contraria studebimus,vtiquè si in superioribus vlcus consistat per inferna purgantes,&c.* Et libro de sanguinis misione.c. 8. §. *Eadem ratione in ijs, quibus pars quæpiam grauiter*

uiter iċta eſt, aut vt cumquè aliter incipientem habet phlegmonem eam, ſi magnam fore ſuſpicamur, curationem ab inanitione auſpicamur, aut purgato rio medicamento exhibito, aut venaſciſſa, prout nimirum alterum altero magis conuenire indicamus;&c. Et ſic ad iſtam euacuationem poteſt redu ci euacuatio humorum turgentium, quos ad inteſtina moueri debemus, ne forte impetum faciant in partem principem exhibito medicamento purganti, & multo melius ſi pars, quę fluxione eſt tentata, ſit in partibus ſuperioribus, quia humores deorſum evulſi ſatis expelluntur, quod expreſſe docet Galenus 13. method. c. 11. §. *Eadem ratione in omnibus, quæ circa caput accidunt medicamentum purgatorium deorſum revulſorium auxilium*; &c.

Et confirmatur id, ideo recuſamus minoratiuam, & iuxta rationem, quia humore non exiſtente ſeparato, & cum ſit quietus, nullo modo eſt mouendus, niſi ad miniculante natura, ne forte fiat maxima alteratiò, & incommoda tradita ab Hipocrate 4. de ratione victus, tex. 44. ſed in noſtro caſu humores ſunt moti ad partem inflātam, & ſunt humores tenues, & aduſti, quibus debetur talis purgatio, nā humores in inflāmatione contenti non euacuantur, niſi loca libus per ipſam partem, ergo in noſtro caſu purgatio revulſoria eſt neceſſaria, & exercenda in principio.

Et non contrariatur huic doctrinę Galenus, quando 4. de ratione victus. 22. interdicit purgationem in principio inflamationis, quia intelligitur de principio inflamationis in ordine ad coctionem, quod nos concedimus, quia eſt finis fluxionis, vt ex Galeno conſtat libro de tumoribus præter naturam, noſtra tamen purgatio eſt in principio fluxionis, & in hoc ſenſu intelligatur Galenus in locis pro nobis adductis.

Quod debeamus in vlceribus cruſtroſis à principio vti cauſticis medicamentis.

Ad vltimum, quod mihi interſt cōfirmare accedendo, ſcilicet in vlceribus cruſtroſis, aut carbunculoſis, aut in carbunculo, quod idē eſt, vti debere à principio cauſtico medicamento, cum maxima præ meditatione ſecundum naturam, & ætatem, & hoc ratione vrgentiæ, quia ſi protinus non vrantur, & impediatur putredo, poſtea incurabilia reduntur, vt experientia conſtat, & id rationibus, & auctoritatibus comprobabo: ſed prius aduerto, quod hoc non in omnibus vlceribus, & inflāmationibus intelligitur, ſed ſolum in cruſtroſis ſupra alegatis, vt à me proditum fuit in iuditio circa hāc rem ſermone Hiſpano facto.

Et probatur ratione primo; *Ad id quod magis vrget intentio curantis dirigi debet ex Galeno*, ſed in his vlceribus, quod magis vrget, eſt corruptio, & putredo, quæ cauſatur in partibus guturis, ergo illi prius eſt ſuccurrendum. Maior eſt certa minorem probo, ſiquidem experientia conſtat fere omnes potius perire in hoc morbo ex putredine

tredine vlceris,quam suffocari ex inflammatione,& ablata inflāmatione ex solo vlcere parte extiomenata ad obitum tendere;ergo illi prius scilicet corruptioni vlceris est succurrendum, sed impedimentum corruptionis fit causticis medicamentis, vt receptum est ab omnibus,ergo eis vti debemus in principio.

Et confirmatur maius periculum est sanguinem mittere ex venis leonicis in principio fluxionis, & corpore pletorico existente, quam leuiter adurere partem vlceratam,primum fit vrgente necessitate ex multorum sententia, ergo & secundum fieri oportet. Et quod sit periculosior probatur,euacuatio à parte corpore pletorico existente,&in principio fluxionis potest repēte suffocare attracto maximo impetu humore,sed causticum adhibere, leuiter solum aliquid inflāmare,ergo minꝰ incōmodum affert,sed primū cum maiori incōmodo ex aliquorum sententia exercetur, & debet exerceri secundū rationem, ergo à fortiori secundum videlicet, quod caustica administrentur in his vlceribꝰ carbunculosis in principio.

Tertio probatur quanto pars magis exposita est putredini,tanto fortioribus medicamentis vti debemus ad illam impediendam,sed fauces sunt partes magis expositæ putredini; ergo fortioribus vti debemus.Maior est certa, minorem probat Galen.6.secundum locos.c.2.tàm ex temperamento calido,& humido putredini proportionato,quàm ex afluxu ex crementorum à capite,& toto; ergo fortioribus vti debemus medicamentis, sed hæc sunt caustica, ergo illis vti debemus.

Quarto probatur ad extremos morbos externa remedia sunt necessaria, ex Hypocrate.1.aphorismorum. 6.morbus iste est extremus, quia per acutus est;ergo illi conuenit extremum remedium, quod sit per acutus,experientia constat siquidem ad tertiū, & quartum interficit,& antea,& quod morbus peracutus sit extremus docet Galen.in commet.aphoris.citati ; ergo illi conuenit extremum remedium,sed extremum remedium est causticum,ex Hypocrate; ergo huic morbo conuenit causticum medicamentum, & ab eo est incipiendum,non verò a leuioribus,vtGalen.docet.5.method.c.1. vbi vrgentiæ ratione à narcoticis incipit curationem, reprobatq; à leuioribus in periculosis morbis incipere per hæc verba; *Minimè igitur (sicuti medicorum nonnulli sencent) à paruis incipiendum auxilijs est. Nec sicut illi dicunt, sentiendum est, ista scilicet prius esse tentanda. Mox si nihil profecerint aggredienda maiora,nam in morbis,in quibus periculū non impendet, vera ea opinio est. At vbi moriendum egro prorsus est,si phlegmō semel exceptus sit,alienißimum à ratione est à minoribus inchoaße,&c.* Sed sic est,quod si semel putredo serpit in hoc morbo, redditur incurabilis,ergo à fortioribꝰest incipiedū causticis scilicet medicamētis.

Sed

Sed relictis alijs auctoritatib⁹,&rationib⁹,quarũ magnã seriẽ possem afferre,solũ duabus contẽtus eroCelsi,&Galeni,vbi ij prestantissimi auctores horum vlcerum curationẽ instituũt.

Prima auctoritas est CornelijCelsi lib.5.c.28.§.*Et si circa stho macum,faucesve incidit,subito spiritum sæpe eledit(loquitur devlcere carbunculoso in faucibus)nihil melius est quã protinus adurere, nec id graue est,nã non sentit,quia ea caro,seu crustra mortua est,finisq; adu rendi est,dum ex omni parte sensus doloris est, tunc deinde vuln⁹ sicut reliqua adusta curandum est,sequitur enim sub medicamentis erroden tibus vndiq; à viua carne deducta,quæ trahit secum quidquid corrũp tum,purusq; iam sinus curari potest implentibus,&c.*

Secunda auctoritas est Gale.6.localium.c.2. de crustris in ore,cuius ipsissima verba afferã,& nihil aliud in hac curatione desiderandum.§.*In calidis & humidis corporis locis,quale est os, citô putredo accidit,ex quacumq; tandem causa fuerit exulceratum,cõ fert ad hanc rem etiam id,quod nihil penitus in ipso ex pharmacis incumbere quæat,velut in alijs vlceribus potest.Eluuntur enim omnia à saliua,quapropter etiam fortißimis pharmacis sæpe ad ea vti cogimur. Fortißima autem sunt,quæ crustram scharam Græcis dictam efficiunt ad modum cauteriorum;in externis igitur vlceribus vti parti curandæ crustra fuerit inducta à fortibus pharmacis desistimus ad ea, quæ crustras tollũt transgredientes,quæ manifesium est ex tersoriæ qualitatis, ac facultatis eße. In his vero quæ in ore fiunt propter locinaturam tutius mihi eße videtur admiscere ad destersoria pharmaca quædam for tia,quæ singulatim admota crustras infingunt.Ob hanc igitur causam meli vehementißima extergendi vi prædito pharmaca admißemus ipsas crustras efficientia,quemadmodũ sane in sordidis vlceribus in cuticula obortis diximus admiscere oportere meli, quæ parum extergent thus,eruum,iridem,aristoloquiã, & quæcumq; alia huiuscemodi eadẽ ratiocinatione contraria apponẽtes,velut Hypocrates dixit:vna enim, eademq; ratiocinatio in vtrisq; est,vt videlicet extersorium pharmacum moderate habens ad affectionem adhibeatur. Habebis autem commoderatum pharmacũ ipsum mel in vlcerum quidem sorde debilibus extersorijs permixtum,in quibus autem oblocinataram putredinis acceßionem formidamus ex fortioribus quipiam ad ipsum mel admiscemus,rationabiliter igitur ad oris vlcera arida medicamenta cũ mele commißerunt, per quæ crustas inducimus.&c.* Hæc Galeni verba, quæ in totum difficultatem dissolvunt,vt nihil amplius dicere sit necessarium,quam Galenũ intelligere,& sic de hac difficultate,& de tota tractatione sit finis.

LAVS DEO.